



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

Francisco Carolo Reymakers Theologo S.P.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**



FRANCISCO CAROLO  
REYMAKERS  
THEOLOGO S. P.

*Venerande in CHRISTO Vir.*

**P**erlectâ Appendice, quam  
meæ ad pœnitentiam Manu-  
ductioni tibi placuit oppone-  
re, verum reperi, quod in ejus  
mones principio, voluisse te aliqua dum-  
taxat assertæ à me doctrinæ puncta suc-  
cinctè annotare, & breviter retundere.  
Non solùm breviter, sed & leviter id at-  
tentasti. Fervido enim te video in illam  
zelo exarsisse, quo ad ei contradicendum  
sic es commotus, ut quæ dixeram, &  
cujusmodi ea forent, non debitè attende-  
res, sed satis fuerit, si illi quod dictum  
erat, ut occurrebat, contraires. Hinc  
quippe factum est, quòd nunc quædam  
mihi falsò imponas; nunc alia quæ non  
dixi, ut à me asserta impugnes; sæpiùs  
contradictionis me arguas, in quibus nul-  
la est vel apparens repugnantia; denique

\* 2

non

## E P I S T O L A

nonnullis quæ indubitato vera sunt, nec tibi in assertis à me terminis possunt esse vel ambigua, videri velis repugnare. En singulorum specimen.

*Manud. cap. 4.* Ipso statim in limine *num. 236. & 237.* dicis me Apostoli, Augustini, & Thomæ auctoritatibus annisum, pœnitentiæ difficultatem in consuetudinariis probare. Sic istud à veri etiam similitudine abest, ut non alium quàm te, dum ea quæ dixi, relegeris, ejus velim habere judicem. Neminem propriis viribus pœnitentiam posse vel inchoare, dumtaxat ex Apostolo demonstro; magnum ipsam ac supernaturale esse opus, ex Augustino & Thoma.

*Ilidem.* Pœnitentiæ donum peccatorum plurimis justo Dei judicio non dari, dico inferius; quod ex duobus confirmo, partim quòd hinc multi impœnitentes discedant, partim quòd sint, quos hinc ob præcedentium peccatorum demeritum contingit excæcari & obdurari. Pluribus qui ex hac vita impœnitentes migrant, pœnitentiæ gratiam non concedi, ipse confiteris; quosdam etiam, qui id, ut notat S. Prosper, magnis suis peccatis meruerunt, excæcari & obdurari, si Scripturæ credis, non potes abnuere:  
inaniter

## A P O L O G E T I C A .

inaniter proindè *num.* 241. insurgis , & quædam alia , de quibus hîc nulla mentio , quâ fronte à me dicta sint , petis & interrogas.

Dixi c.6. Manuuctionis, & procul dubio verum est, contritionem non sic in potestate esse peccatoris , quin ad eam specialis Dei necessaria sit misericordia , qui cui vult veram dat pœnitentiam ( nam teste Apostolo , *cujus vult miseretur , & Epist. ad quem vult indurat* ) ita ut ejus gratia brevi *Rom. c. 9. vers. 18.* oratiunculæ, quæ actum contritionis continet , non sit alligata , quasi nempe cuilibet peccatori satis sit , eam semel proferre. Hîc exclamas *num.* 254. quasi doctrinæ monstrum à me foret prolatum; atque omnis ejus monstrositas hæc est, quòd generaliter sufficere nolim, si semel peccator ut pœnitentiæ gratiam impetret , hujusmodi oratiunculam protulerit; cum tamen in Scripturis & à Salvatore nostro præcipuè commendata sit & indicta nobis orationis instantia & perseverantia; atque hæc juxta omnes Catholicos Scriptores , una sit ex conditionibus ut oratio infallibiliter sit efficax.

Tædiosum nunc foret, omnes, quas in dictis meis vides, contradictiones referre. Omitto illam *num.* 248. nam qui-

## E P I S T O L A

vis facilè perspicit, ne repugnare quidem, plerosquè fidelibus juxta Romanum Catechismum ( neque id hodie, ut oportet, sublatum multorum docet experientia ) nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis, ad peccatorum veniam necessarium putare; atque etiam multos, qui interno dolore sibi opus esse non ignorant, cordis sui pœnitundinem, quæ sufficiens non est, sufficientem opinari. Neque istam exponere necesse est, quam proponis *num. 252.* eò quòd illos quoque qui precatiunculam, quâ contritionis actus describitur, vivaciter legunt, eundem actum dixerim posse dumtaxat in intellectu, non etiam in voluntate habere; notum quippe est, quod vivax animi motus sit, ista intellectûs ad verba eorumque significatum reflexio, quæ tamen & ab iis adhiberi potest, qui affectu nondum, ut oportet, ad illud sunt conversi. Tacitûs tamen præterire nolim *num. 273. & 274.* ubi non solùm apertè me mihi vis contradicere, sed & nugari; hanc scilicet ob causam, quòd, cum uno loco concedam, nunquam sic aut toties hominem conversum, quin durante mortali hac vitâ iterum labi possit; neque sic aut toties lapsum, quin denuò valeat resurgere,

surgere,

## A P O L O G E T I C A.

surgere, contendam tamen assiduè relā-  
bentes frequenter non verè converti, &  
pœnitentiam eorum, ut summum, esse  
ambiguam: ejusmodi ergo quia juxta S.  
Caroli praxim, differendam dico absolu-  
tionem, donec veræ conversionis mon-  
strent indicium, nugari me vis, atque  
ipsis pœnitentiæ ostium claudere, quod  
alibi omnibus dico apertum. Non ipsis,  
dilecte Vir, pœnitentiæ ostium clauditur;  
verùm hoc modo agitur, ut nemo falla-  
tur, sed qui vel nullo modo, vel non  
quantum satis est pœnitent, hinc excita-  
ti verè & ut oportet pœnitere satagant,  
atque ita per pœnitentiæ ostium, quod  
non nisi veræ conversionis clave aperitur,  
intrent in vitam æternam: qui verò am-  
biguè pœnitent, non ambiguo summam  
suæ credant salutis, sed dignis pœniten-  
tiæ fructibus, conversionem suam fa-  
ciant certam. Non hoc nugari est, sed  
sicut commissa nobis mysteriorum Dei  
dispensatio exigit, proximorum saluti  
consulere.

Quid jam de iis dicam, quibus te oppo-  
nere viderivis; nec tamen vel tibi in asser-  
tis à me terminis possunt esse vel ambi-  
gua? Cap. 14. Manuductionis confessarios  
dixi, quia id dixerat Trident. Concilium,

## EPISTOLA

munere suo non ritè fungi, dum læviffi-  
 ma quædam opera pro graviffimis deli-  
 ctis injungunt: Tu vero, *contra* ais *num.*  
 277. ac per hoc & hîc te infinuas mihi  
 adversari; tamen cum strictiùs non lo-  
 quor, quàm Trident. Concilium fuerat  
 locutum, mihi te opponere non potes,  
 nisi & illi velis contradicere. Exciderat  
 cap. 4. ubi nonnulla expono remedia  
 tanquam peccatori, ut à peccati statu re-  
 surgat congrua & salubria, quibus per-  
 severanter insistenti pœnitentiæ donum  
 promitto à Deo concedendum, Scriptu-  
 ræ innixus dicenti: *omnis enim qui pe-  
 rit accipit, & qui querit invenit, & pul-  
 santi aperietur.* Hæc malè à me dici pro-  
 nuntias *num.* 244. quid ergò hîc putas  
 non rectè à me assertum? Vin' exposita  
 remedia lapso peccatori non esse salubria?  
 Vin' ipsum ad ea suscipienda, hoc est,  
 pietatis & humilitatis opera, non esse ad-  
 hortandum, neque hujusmodi ei con-  
 siliium suggeri? Unum superest, quòd  
 perseveranter his insistenti promiserim  
 pœnitentiæ & conversionis donum cæli-  
 tûs concedendum: sed de hoc quis dubi-  
 tet, qui promissionibus credit divinis?  
 Hæc sunt, eo, quem arguis, loco à me  
 dumtaxat asserta, in quibus nil vides,  
 cui

## A P O L O G E T I C A .

cui non ipse, si sanum sapias, cogaris consentire.

Sufficiunt hæc, ut necesse non sit his minutioribus, quæ allegari plura possunt, amplius immorari: venio nunc ad doctrinam tuam, quam meæ in Manuductione propositæ opposuisti; & principem locum tenet, ac cæterorum ferè est basis, illud fidei dogma quod profers *num.* 243. dum fidei esse dicis, Deum offerre gratiam veræ pænitentiae omnibus peccatoribus; quo id autem sensu intelligas, manifestas numero anteriori, dum inde concludis, hanc gratiam ultrò oblatam multo tempore vel labore non esse requirendam, *sed illi dumtaxat consentiendum*: & numero subsequenti, hoc est 244. dum per illam me arguis, quòd precibus ac pietatis humilitatisque operibus pænitentiae gratiam voluerim à peccatoribus requiri.

Igitur te Doctore, secundum fidem omnibus peccatoribus sic offertur pænitentiae gratia, hoc est, sic illa ad pænitentiam & debitam conversionem necessaria, ipsis ultrò oblata adest, ut omnibus peccatoribus, ad agendam pænitentiam, seseque convertendum, aliud necessarium non sit, quàm eam acceptare, seu,



## E P I S T O L A

*ſeu, ut verbis tuis inſiſtam, illi dumtaxat  
 conſentire. Hinc num. 241. Scripturam do-  
 cere dicis: Deum ſuam gratiam ſemper offerre  
 peccatoribus, & quòd ipſos continuo vocet & in-  
 vitet ad pœnitentiam, imò ſtet ſine ceſſatione ad  
 oſtium cordis ipſorum, & pulſans: Ego ſto ad  
 oſtium, & pulſo: TANTUM DEBENT APE-  
 RIRE PER CONSENSUM LIBERI ARBI-  
 TRII, UT GRATIAM CONVERSIONIS  
 ACCIPIANT.*

*Huic tuæ fidei innixus negas num. 255.  
 conversionis gratiam inſtanter peten-  
 dam. Et numero anteriori, ad eam conſe-  
 quendam ſufficere putas paucarum linea-  
 rum oratiunculam, quæ contritionis de-  
 ſcriptionem continet, vel ſemel devotè  
 legere. Imò ſi tibi aſſentiendum ſit, nec  
 hoc neceſſarium eſt; illa enim pœniten-  
 tiæ gratia, etiam non petita nec quæſita  
 ſic ultrò oblata omnibus adeſt, ut *illi  
 dumtaxat ſit conſentiendum.* Deinde devota  
 hujus oratiunculæ etiam ſemel facta reci-  
 tatio fieri nequit ſine gratia ſaltem in-  
 choatæ conversionis, ac per hoc jam  
 contradicis tibi, ſi per illam putes con-  
 versionis gratiam impetrari. Ex ſenſu tuo  
 loquor: cum enim peccatori piis labori-  
 bus & orationibus perſeveranter inſiſten-  
 ti, pœnitentiæ & conversionis donum  
 dixiſſem*

## A P O L O G E T I C A.

dixissem concedendum , tu contra ais  
*num. 244.* *Contradicit sibi : nam hæc omnia*  
*quæ prærequirit ante conversionem , sunt ipsamet*  
*conversio saltem inchoata ; & fieri non possunt*  
*absque gratia veræ conversionis : & sic vult ut*  
*peccatores querant , quod jam habent ; præcipi-*  
*tatquè ipsos in labyrinthum perpetuæ incertitudi-*  
*nis & diffidentia.* Hæc omnia tibi dic, si vel  
unam ejusmodi brevis oratiunculæ pre-  
cationem ad consequendum pænitiæ  
donum putas necessariam. Cave quo-  
que ne in infinitum procedas. Ista enim  
precatiuncula quâ pænitiæ gratia pe-  
titur , ne semel sine Dei gratia , sicut o-  
portet , dici potest : ergò ( iterùm modo  
tuo argumentor , quo te putas adversum  
me *num. 246.* *invictè concludere* ) pro  
hac gratia à Deo obtinenda , alia pre-  
catiuncula erit adhibenda , & sic fiet pro-  
cessus in infinitum. Hæc cum tibi solve-  
ris , quàm vanè ea mihi objecta sint , ipse  
confiteberis.

Vides nunc FRANCISCE CAROLE ,  
quò tua te ducat ratiocinatio , & dum  
huic fidei inniteris , quò progrediaris. Si  
enim vera sunt , quæ asseris , nemo quan-  
tumcumque peccatis immerfus , usurpa-  
re debet Propheticam illam vocem : *Con-*  
*verte me.* Pro nullo orandus est Deus , ut  
spi-

## E P I S T O L A

spiritûs sui inspiratione præveniat, moveat, & molliat cor ejus, sed tantum quisque erit monendus, ut divinæ gratiæ consentiendo, ad Deum sese convertat, debitèque pæniteat; quandoquidem jam omnibus ultrò oblata sic adest pænitiæ gratia, ut *illi dumtaxat sit consentiendum, & sine cessatione ad omnium corda sic pulsatur Deus, ut tantum debeant aperire per consensum liberi arbitrii, ut gratiam conversionis accipiant,*

Vel hinc suspicari incipe, nè fortè hæc tua non fides sit, sed falsa persuasio: imò ut istud sine dubitatione recipias, converte te ad illos de quibus dicit Evangelium:

*Ioan. c. 12. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit*

*7. 39. 40. Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit*

*cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. An*

*his fortè, quos sic audis excæcatos & obduratos, ut non potuisse credere dicantur, necessariam ad conversionem gratiam, etiam tum dicturus es ultrò adfuisse obla-*

*Bellarminus tom. 4. controver. gen. 3. l. 2. cap. 6.* *tam, ut multo tempore vel labore requirenda non fuerit, sed illi dumtaxat consentiendum?*

*An omni divinæ gratiæ auxilio destituti fuerint, nunc non quæro, neque huc spectat scopus mihi in Manuductione propositus: de gratia ago quæ peccatori*

ad

## A P O L O G E T I C A .

ad debitam conversionem necessaria est ,  
ac per hoc quæ ad illam plenè & comple-  
tè sufficiat ; hanc dico his ita excoecatis  
& obduratis, ut veracissimo Scripturæ te-  
stimonio non potuisse credere dicti sint ,  
non sic adfuisse ut *illi dumtaxat* esset *consen-*  
*tiendum* : Hanc dicit Manuductio non  
omnibus peccatoribus concedi : hanc  
vult ab ipsis precibus piisque laboribus  
requiri : Hæc est doctrina quam arguis ,  
& cui istam fidem opponis.

Sed miror tantâ asseveratione hanc  
nunc à te fidem proferri, quam hæctenus  
à nullo legitimo Concilio decisam, à nul-  
lo Romano Pontifice invenisti determi-  
natam. Cui, si quærere volueras, sanctos  
Patres , Augustinum , Prosperum , Ful-  
gentium , cum sexaginta & eo ampliùs  
Episcopis synodicè in Sardinia congrega-  
tis, Gregorium , Isidorum , Bernardum ,  
Thomam , aliosque reperisses contrarios.  
Cui è Classicis scholæ Doctoribus , ne-  
scio si habeas consentientem. Nam quam-  
vis eorum plurimi sufficientem quandam  
gratiam cuique pro tempore & loco ve-  
lint non deesse , non sic tamen commu-  
niter ad ea quæ agenda sunt, illam volunt  
sufficere , ut *illi sit dumtaxat consentiendum* ,  
sed quâ petendo fideliterque allaborando  
talem,

## E P I S T O L A

talem , quæ sibi plenè sufficiat , valeant comparare. Sunt etiam non pauci , quibus placet , quædam ad posse , non ad agere sufficiens ; propter quod adhuc aliam , eamque non omnibus communem , ut actio sequatur , volunt necessariam. Horum omnium doctrinæ convenit , quidquid de pænitiæ gratia in Manuductione differui : Tu verò ab eis longè discedis , dum pænitiæ gratiam cuique ut convertatur necessariam , sic omnibus peccatoribus vis ultrò à Deo oblatam adesse , ut precibus piisque laboribus requirenda non sit , sed , quod sæpè dicendum est , *illi dumtaxat consentiendum*. Hoc nescio , si à quopiam vel è Scholasticis Doctoribus hætenus ut fidei dogma sit assertum.

Inniti quidem vis Christi testimonio dicentis : *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis , & ego reficiam vos*. Item : *Pœnitentiam agite*. Si Christus , ais , hortatur omnes ad agendam pœnitentiam , indubiè omnibus gratiam offert : aliàs hortatur ad impossibile. Sed imbecille hîc conficis argumentum , isti tuæ fidei stabiliendæ omninò insufficiens. Non enim ad hoc pertinet Christi vocatio & ad pœnitentiam adhortatio , quasi omnibus ultrò oblata ad ea perficienda  
jam

## A P O L O G E T I C A.

jam adsit necessaria gratia, ut *illi*, sicut  
 præ tendis, sit *dumtaxat consentiendum*; hoc  
 enim si verum foret, jam nemini neces-  
 sarium esset, ut ad Christum veniat de-  
 bitèque pæniteat, ejus adjutorium im-  
 plorare. Nec tamen propterea quem-  
 quam Christus ad impossibile hortatur:  
 ad ipsum quippe venire, ac ritè pænite-  
 re, omnibus per Dei gratiam est possibi-  
 le; quæ gratia per Christum & in Chri-  
 sto nobis est præparata, ita scilicet ut ne-  
 mini sicut & quantum oportet petenti  
 denegetur. Ac per hoc merito omnes ut  
 ad ipsum veniant ac pœnitentiam agant  
 Christus hortatur; ut si qui adhuc infir-  
 misint, neque ad id perficiendum suffi-  
 cientes habeant vires, precibus piisque  
 laboribus eas ab ipso consequantur. Pro-  
 pter quod qui dixit: *Venite ad me omnes, Matth. c. 7.*  
 & pœnitentiam agite, ipse & dixit: *petite & vers. 7.*  
*dabitur vobis: querite & invenietis: pulsate &*  
*aperietur vobis.*

Cernis itaque quam infirmo telo Ma-  
 nuductionem impetere sis aggressus, dum  
 hac fide instructus doctrinam ejus co-  
 naris evertere? cernis cujusmodi, hoc est,  
 ruinoso, nitatur fundamento doctrina  
 quam ei opposuisti? Hæc te fides docue-  
 rat ut *num. 244.* reprehenderes me, quod  
 pecca-

## E P I S T O L A

peccatores ad preces pioſquè labores, quibus veræ pœnitentiæ gratiam confequentur, fueram adhortatus: hæc te fides docuerat, ut ex adverſo diceres *num. 255.* pœnitentiæ gratiam non opus eſſe inſtanter petere, ſed (quod habes *num. 254.*) paucarum linearum ſufficere precatiunculam. Ex hac fide aſſueriſti *num. 280.* ad imperfectam contritionem, imò ſæpè ad perfectam, non requiri alium laborem: *Quam ut penitens ſe præparans ad confeſſionem, examinatâ conſcientiâ conetur excitare verum dolorem ex conſideratione turpitudinis peccati & bonitatis divinæ offenſæ: tunc facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt.* Hinc *num. 271.* frequenter recidivos & peccandi conſuetudini inveteratos, facilè & citò, hoc eſt, uti inſinuas *num. 264.* momento vis converti: non enim niſi momento opus eſt ad voluntatis conſenſum; ſic autem iſtis quoque inveteratis peccatoribus, uti hæc tua aſſerit fides, ultro oblata adeſt pœnitentiæ gratia, ut *illi dumtaxat ſit conſentiendum.*

Hanc fidem dum non recipimus, neque iſtâ, quam improbabiliter aſſeris, facilitate, inveteratos maxime peccatores, regulariter ad pœnitentiam credimus renovari. Tibi ſumus, *num. 288.* prurientia

## A P O L O G E T I C A :

*ria ad novitatem ingenia, pacem Ecclesia & fidelium unitatem turbantia.* Non mihi venerande Vir, ad novitatem pruriit ingenium, neque digitus ad scribendum, ut hanc Manuductionem emitterem; sed quid ad illam me compulerit, quodque in ea mihi fuerit propositum, sic paucis accipe.

Viderat pro sua Pastoralis sollicitudine Reverendus admodum atque Amplissimus Dominus Amatus Coriache hujus Mechliniensis Archiepiscopatûs, vacante Sede generalis Vicarius, & animabus ac ipsi Sacramento noxium judicabat abusum, quo nimirum in gravia peccata recidivi nimis facile & temerè à quibusdam Confessariis absolvuntur: quem emendari satagens Anno 1667. publico etiam Decreto monuit omnes hujus Diœceseos Confessarios, ut cum in alios pœnitentes solvendi, in hos certè ita recidivos ligandi potestatem exercerent. Hanc Constitutionem denuò renovavit Anno sequenti, unumquemque Confessariorum admonens, ut quoad hujusmodi recidivos & incorrectos penitentes, eâ utantur Ecclesiastica disciplina œconomia, quam S. Carolus Borromæus per Diœcesim suam cum grandi animarum lucro, per instructiones suas suis Pastoribus & Confessariis observandam præscripsit.

\* \*

Has



## E P I S T O L A

Has procul dubio saluberrimas Con-  
 stitutiones, ut rectius exequeremur, ex-  
 pedire judicabam, si modum pœnitentiæ  
 comparandæ & agendæ populo, cujus  
 instructioni pro commisso mihi munere  
 servire cogor, apertè ejusque captui ac-  
 commodatè exponerem. Publicis id sæ-  
 pius concionibus tentavi, verùm ut am-  
 plius memoriæ ejus consulere, dignum  
 duxi, si quæ voce dixeram in brevem  
 hanc Manuductionem contraherem;  
 quod & factum est. Populo itaque &  
 ob hoc communi, id est, Flandrico no-  
 stro idomate illam conscripsi. Omisi  
 autem, sicut oportuit, Scholarum con-  
 tentiones, & inter dubias Doctorum con-  
 troversias eam doctrinam amplexus sum,  
 quam & veram judicabam, & omnium  
 consensu sciebam securam. Neminem id  
 suæ & proximi salutis cupidum potest  
 offendere. Tametsi enim circa nonnulla  
 aliud fortassis quis opinetur, eo ipso tamen  
 quo incerta sua illi est opinio, carpere non  
 potest, si illâ relictâ, securior salutis via  
 populo demonstratur; imo ut sibi con-  
 sulat, id ipsum imitabitur. Etenim *gra-  
 viter peccaret*, dixit jam olim Augustinus,  
*in rebus ad salutem animæ pertinentibus vel eo ip-  
 so, quod certis incerta præponeret.*

Quo-

## A P O L O G E T I C A .

Quomodo autem hæc nostra qualif-  
cumque opella excepta fuerit , atque  
etiam qualiter eruditis probata , non  
meum est dicere. Ipse typus loquitur  
brevissimo tempore diversis in urbibus  
sæpius repetitus. Attamen ( sicut non  
omnibus omnia placent ) fuit & cui  
ipsa displicuit , quiq; etiam publicè  
eam coepit arguere. Is autem cum sæpius  
Romam , Romam inclamaret , ac si do-  
ctrina ejus ab eâ quam Roma probat, dis-  
cederet ; nihil rectius me facturum arbi-  
tratus sum , quàm si eandem Romæ exa-  
minandam transmitterem. Erat tum ibi  
Vir eruditissimus , Ordinis sui & Italiæ  
insigne decus , Card. Joannes Bona ,  
scriptis & famâ etiam huc pernotus.  
Hunc ergo , tametsi ei hætenùs ignotus,  
vicariis litteris accessi , ipsiq; hanc Ma-  
nuductionem , jam Gallicâ linguâ , quam  
callebat , interpretatam , destinavi ; de-  
precatus, ut quantum ipsi à majoribus cu-  
ris licitum erat , eandem inspicere , & si  
quid ejus sanæ Doctrinæ per Romanam  
Ecclesiam probatæ non congrueret , ape-  
rire non gravaretur. Benignè , ut ejus  
erat humanitas , hanc nostram postula-  
tionem suscepit , atque ejusdem libelli  
censorem agere non est aspernatus. Quæ

\* \* 2

vero

## E P I S T O L A

vero ejus fuerit de illo censura, expedire visum est huc apponere, ac tibi innotescere, qui *num.* 289. me annumeras novitatis auctoribus, sic tamen ut non nova afferamus, sed potius antiquatos & dudum refutatos errores restauremus; sed aliter Vir ille. Proferam Epistolam ejus integram, ne quid putes à me subdolè prætermissum. Est ergo ea quæ sequitur.

Adm. Rev. Dne.

**S**I nomine & facie mihi ignotus fuisti, nostrissimus deinceps eris meliore tui parte, animo scilicet Christianâ pietate & solidiori doctrinâ imbuto; in libello enim de pœnitentia, quem mihi misisti, loquela tua manifestum te facit. Legi illum summâ aviditate, atque utinam fructu, & zelum tuum pro salute animarum maxime commendo. Quod verò inter varias dissidentium Theologorum sententias, tutiorem amplexus sis, rem fecisti tuo munere consentaneam; nec poterit hoc nomine tractatus iste displicere, nisi illis qui à pœnitentia maximè alieni, non percipiunt quæ sunt Spiritûs Dei. Sedes Apostolica jam pridem multas laxiores recentiorum opinioniones proscripsit, quæ in duobus Decretis Alexandri VII. continentur: & quod attinet ad pœnitentiam

## A P O L O G E T I C A .

tentiam, illorum dumtaxat nimius rigor damnatur, qui veteris Ecclesiae erga poenitentes disciplinam, quae à multis saeculis in dissuetudinem abiit, nunc in usum revocare conantur, quorum indiscretum zelum tu quoque non probas. Erit etiam aliquis, qui forsitan reprehendet, quae de differenda sive suspendenda absolute scriptione scribis cap. 12. verum doctrina tua sapientissimorum Theologorum est, nec merito argui potest. Optassem tamen, ut quae dicis pag. 97. & duabus sequentibus, omisisses: nam hujusmodi objectiones facile à populo rudi & simplici intelliguntur, solutiones autem captivum eorum excedunt. Ceterum pro hoc pio & litterario munusculo, gratias tibi uberrimas ago, & si quod aliud simile opusculum aut edidisti, aut in posterum edes, rem gratissimam facies, si ad me pervenire curabis. Hanc mihi fiduciam rogandi te, benignitas tua praebuit, meque tuis precibus enixe commendo. Si quid verò tibi tuisque studiis prodesse possim, me semper paratum invenies.

Roma die ultima Martii

1674.

Tibi addictissimus

J. CARD. BONA.

\*\* 3

Obje-

## E P I S T O L A

Objectiones quas optabat omiffas, habes eodem cap. 12. quas ideo exposueram quod eas viderem etiam vulgi ore decantari, ac multis magni ponderis apparere; quibus mirum est & nonnullos è doctioribus accedere, cum adversus illas & alias ejusmodi, satis sit una veteris Ecclesiæ, procul dubio Dei Spiritu directæ auctoritas. Scripsi tamen eidem Eminentiss. Domino, me easdem si id ipsi probaretur, in sequenti editione expuncturum. Ad hoc ille alterâ Epistolâ: *Quod verò attinet, ajebat, ad primum libellum de Pœnitentia, objectiones illas expungi, de quibus te monui, si Liber recudatur, forsitan non expediet, cum jam ubique divulgata sint: ne quis putet, ideo omiffas, quia sanam doctrinam non continerent: sed ita poteris, si tibi videbitur, tam in propositione objectionis, quam in solutione, eâ moderatione uti, ut quod in illis nunc arguunt adversarii, clariori explicatione, dissolvatur, atque omnis præcidatur occasio, quæ posset doctrinam tuam plebi odiosam reddere.*

Ecce quàm discors à tuo fuerit hujus omnium consensu eruditissimi Viri de hac Manuductione judicium. Tibi singula fermè displicent, eisque vis contradicere; illi sic tota placet, ut quod ejus  
vel

## A P O L O G E T I C A .

vellet omiffum , omitti non velit , ne per hoc in illo aliqua non fana doctrina contineri exiftimetur : tu te illi præcipuè adverfarium opponis , quòd in ea de differenda abfolutione differitur ; ille assertam à me doctrinam fapientiffimorum dicit Theologorum , nec meritò argui poffe . Tu deniquè antiquatos & dudum refutatos errores , à me vis renovari ; fed neque tu ullum ejus errorem hætenùs fufficienter detexifti , neque illi oculatiffimo viro aliquis apparuit , quin potius laborari vult ut omnis præcidatur occasio quæ poffet doctrinam ejus plebi odiofam reddere .

Satis hæc forent ad ea quæ in Appendice oppofuifti , ut aliâ Manuductioni non fit opus defenfione : verùm multa profers , quæ ob commotam hodie circa conversionem peccatoris , & pœnitentiæ Sacramenti adminiftrationem controverfiam amplius difcuti ac plenius accuratiusquè exponi , plurimorum inftructioni expedire exiftimavi . Quapropter amicum hortatus fum , iftum laborem ut fufciperet ; quem & fufcepit , non ut tua refelleret , quod dicebat non neceffarium , cui proindè horas fuas noluiſſet inſumere ; fed una ipfi cordi fuit veritas eamquè aperire ftuduit , & quantum fa-

EPISTOLA APOLOG:  
tis foret , confirmare : idquè sic effecit, ut  
omni non nimium præoccupato constare  
possit , non prurire nobis ad novitates in-  
genium , sed sicut pro commisso onere  
necessitas nobis incumbit , veritatem quâ  
nihil est antiquius , jam olim à SS. Pa-  
tribus agnitam & assertam , à nobis pro-  
poni & defendi. Hunc ergo adi , & quid  
circa propositam materiam sentire de-  
beas , ex ipso cognosces. Vale.

V. T. H. I. C. F.

J. R. P.



PRÆ-